Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8391
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.I.

patres de huiusmodi diversa sensisse,
nec mihi perspicuum est unde alterutrum
doceam, et nescire me fateor. Sed
et vestris profectibus non multum
conferre arbitror harum rerum
notitiam. Illud autem scitote nullum
creatorum spirituum per se men-
tibus applicari, ut videlicet nul-
lo mediante nostri sive corporis
instrumento ita nobis misceatur
vel infundatur, quo eius participa-
tione docti sive doctiores vel boni
sive meliores efficiamur. Nullus
angelorum, nulla animarum hoc modo
mihi capabilis est, nullius ego ca-
pax, nec ipsi angeli ita se alter-
utrum capiunt. Sequestretur proinde
prerogativa hec summo et incircumscrip-
to spiritui, qui solus cum docet ange-
lum sive hominem scientiam instrumentum
non querit nostre corporee auris
.G. sic nec sui oris. Per se infundit,
per se innotescit, purus capitur
a puris, solus nullius indiget,
solus et sibi et omnibus de sola
omnipotenti voluntate sufficiens. Operatur
tamen immensa et innumera per
subiectam creaturam corporalem sive
spiritualem, sed quasi imperans, non
mendicans. Ut verbi gratia quod lin-
gua mea corporalem assumpsit
nunc in opus suum, docere videlicet
vos, cum per se absque dubio facili-
us suaviusque id posset, profecto
indulgentia est et non indigentia
in profectum siquidem meo meritum
querit, non sibi solatium. Id ipsum
sapere opus est omni homini operan-
ti bonum, ne forte in se de bonis suis
et non in Domino glorietur. Est enim
qui bonum operatur non volens,
sive homo malus sive angelus
malus, et constat fieri propter
eum quod fit per eum, cui prodesse
nullum bonum possit invito. Tali
ei quidem dispensatio tamen credita
est, sed nescio quo gratius toti
dulciusque sentimus bonum quod per
malum dispensatorem ministrat. Ipsa
est ergo causa cur per malos
faciat Deus bona bonis, non autem
ut opera eorum indigeat in beneficien-
do. Porro hiis que ratione vel sen-
su carentia sunt instrumentum magis minus
deum egere quis dubitat? Sed quia
in opus bonum et ipsa concurrunt,
apparet quia omnia serviunt ei, cui
merito est dicere: Deus est orbis
terre. Aut certe quia novit per .H.
que convenientius fiant de servi-
tute corporee creature, non effica-
ciam querit sed congruentiam. Esto
denique quod corporum ministeria oppor-
tune plerumque divinis operibus appli-
centur, ut verbi gratia pluvie vivi-
ficandis seminibus vel multiplicandis
segetibus vel fructibus maturan-
dis. Quid precor queso de corpore
facere habet cui ad nutum indiffe-
renter universa corpora celestia
atque terrestria obsequi constat?
Plane superfluo dicet suum, quod nullum
sibi reperit alienum. Verum si cunc-
ta que hoc loco dicenda occurrunt
persequi volumus, sermone concludere
sermonis modum excedet et vires for-